

## §. X.

In reliquis definitionis nostrae verbis continetur differentia specifica, quae desumpta est partim a subiecto, partim ab obiecto, partim a forma, partim ab effectu. Inde notanter dixi, sententiam latam esse oportere sine dolo, culpa tamen et errore. Quod si enim per dolum, barratariam, praeuaricationem aut affectum iudicum sententia prolata fuerit, non Reuisionis sed Syndicatus remedium competit. *Ordin. Cam. p. 3. tit. 53. §. wo aber einige Parthey.* Sed haec et caetera ex sequentibus capitibus et quidem singula suis locis manifestiora fient.

## C A P. II.

## D E

## ORIGINE ET CAUSIS.

## §. I.

Origo huius remedii illustris est et clarissima, non tamen pendenda ex Iure Ciuili Iustiniano, nec ex Iure Pontificio, utroque enim iure incognitum est. Et quanquam cum remedio *Auth. quae supplicatio. C. de prec. Imp. offer.* affinitatem quandam habeat, longo tamen interstitio haec remedia a se inuicem dissident: siquidem remedium *auth. quae supplicatio.* proponitur coram eodem qui sententiam tulit, scilicet Praefecto Praetorio siue Consiliariis vel Referendariis ipsius §. *aliud ad hoc Nou. 119. vt Sponsal. largitas*, et fundatur in excellentia personae: At reuisionis non interponitur coram iisdem iudicibus, sed ordinariis Reuisoribus et non ratione excellentiae personarum, sed ratione iustae, notoriae et ex iisdem actis promptuariae causae, ut omittam alia plura, in quibus differunt, quae ex capite V. huius disputationis haud difficulter colligi poterunt.

## §. II.

Introductum autem hoc remedium iure nouo, per Ordinationes et Recessus Imperii, qui hodie nobilissimam Iuris Caesarei portionem constituunt, quos nisi quis probe cum utroque iure coniunxerit, non poterit perfectam iuris nostri co-

B

gnitionem